Hic gloriosus antistes multa laudabilia operatus est, multas gueras pro libertate ecclesie sue cum comitibus Goricie et Tyroli perpessus est et tandem ecclesiam suam potenter protexit. Mortuus est in Civitate Austria, quam intime diligebat, cujus corpus juxta corpus sancti Paullini sepellitum anno domini MCCLXVIIII et eodem anno electus fuit Philippus dux Karinthie, quem dominus Gregorius X confirmare noluit, sed factus fuit generalis capitaneus ecclesie Aquilegensis et vacavit sedes IIII annis. Hujus tempore capta fuit Civitas Austrie proditorie per Fridericum de Pinzano vicarium dicti Philippi faventibus sibi fere omnibus castellanis et nonnullis intrinsecis, et expulsi fuerant fere omnes boni populares et alii capti bona abstullerunt. Sed eo anno rex Boemie vassalus ecclesie Aquilegensis habens ad hoc feudum speciale pro redemptione ipsius Civitatem misit vicarium suum cum

magno

3 40